



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

**Parisiis, 1644**

Epistola IV. Gregorii Papae I. Ad Bonvm Episcopvm Messanensem. De  
precio pro sepultura aliqua nunquam recipiendo, vbi proponit exemplum  
Abrahae, & Sichimitarum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15221**

hoc quod sentio, verum dico, & in charta mihi mens vestra sine charta loquitur, quia in verba vestræ sanctitatis sola caritas sonat, & diuisi locis non sumus, qui ex dono omnipotentis Domini dilectionis vinculo coniuncti sumus. Cur igitur accipere pennas columbæ deargentatæ quæritis, quas iam habetis? Pennæ quippe eius sunt caritas Dei & proximi. Per ipsas enim sancta ecclesia euolat, per ipsas terrena omnia transcendit; quas si vestra sanctitas non haberet, ad me cum tanta caritate per epistolas non venisset. Rogo autem vt pro mei cordis infirmitate enixius oretis, quatenus omnipotens Deus mentem meam a malis omnibus pro vestra intercessione tueatur, & citius me de tot procellis huius tempestatis eripiat, atque in æternæ quietis litore perducatur. Benedictiones vero locupletissimas omnes quæ directæ sunt suscepi, quas mihi vir Dei pauper spiritu transmisisti, de quibus dicitis: Quid enim debet pauper, nisi ea quæ paupera sunt? Sed nisi vos per humilitatis spiritum pauperes essetis, benedictiones vestræ locupletes non fuissent. Omnipotens Deus sua vos a malis omnibus protectione custodiat, & quoniam vita vestra bonis omnibus valde est necessaria, post longa adhuc tempora vos ad cælestis patriæ gaudia perducatur.

## EPISTOLA IV.

## GREGORII PAPÆ I.

AD BONVM EPISCOPVM MESSANENSEM.

De precio pro sepultura aliqua nunquam recipiendo,  
vbi proponit exemplum Abrahæ,  
& Sichimitarum.

*Gregorius Bono episcopo Messano.*

**F**ILIVS noster Faustinus vir eloquentissimus ad nos veniens questus nobis est, quod pater eius quondam Peltrastus aliqua vestræ ecclesiæ, sepulturæ suæ gratia iuris alieni reliquerit. Et quidem quid de hac re sæculi leges habeant & ipsi nostis, & nos audiuimus: quia heres ad solvendum cogitur, si auctor eius vel testator aliena legauerit. Sed quia fraternitatem vestram lege Dei, non autem lege sæculi nouimus viuere, valde mihi iniustum videtur, vt calix electrinus, & puer qui cuiusdam ecclesiæ, in possessione

fessione eius positæ, diœceseos Consentinae ecclesiae esse  
 perhibetur, a tua fraternitate teneatur. Cum enim & vir  
 reuerendissimus Palumbus, nunc episcopus, tunc vero  
 archidiaconus, ita fuisse testatus est, vos omnino eius fidei  
 credere, & aliena restituere debuistis. \* Tabulam vero au-  
 ream quam prædictus vir moriens pariter reliquit confi-  
 derare, vt arbitror, debuistis, quæ esset summa eius sub-  
 stantiæ, si quid esset vnde hi quos reliquerat sustentari  
 debuissent, & tunc pro sepultura eius accipere: cum se-  
 cundum nostrum institutum noueris nos illicitam anti-  
 quam consuetudinem a nostra ecclesia omnino vetuisse,  
 nec cuiquam assensum præbere, vt loca humani corpo-  
 ris precio possint adipisci. Nam si gentiles, vt arbitramur,  
 viri Sichimitæ, Abrahæ pro Sara mortua, atque in  
 loco proprio humanda sepulturam gratis obtulerunt, &  
 vix magna eius importunitate coacti sunt, vt precium de  
 loco sepulturæ perciperent, nos qui episcopi dicimur, de  
 humanis fidelium corporibus pensa quid facere debe-  
 mus. Hoc ergo fraternitatis vestræ iudicio committimus.  
 Et hoc quoque nobis prædictus eloquentissimus vir que-  
 stus est, Sifinium defensore ecclesiae tuæ irrationabiliter  
 iuri suo mancipia competentia detinere. De quibus etiam  
 iudicio sanctæ memoriæ Maximiani episcopi, vt ea de-  
 tentor redderet, esse asserit definitum: sed eorum resti-  
 tutionem hæctenus voluntarie distulisse. Hortamur ergo  
 fraternitatem tuam, vt si manifeste causâ iam iudicata est,  
 quæ statuta sunt compleantur. Alioquin deputato de-  
 fensore ad fratris & coepiscopi Secundini nostri partes  
 fac iudicium conuenire; vt dum cuius sint iuris manci-  
 pia, de quibus quæstio vertitur, eius fuerit sententia de-  
 claratum, nec hic præiudicium, nec ille videatur iniuriam  
 sustinere.

\* al. Fi-  
bulam

Gen. 23.